



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Noua religionis forma ab Anglicana Curia praescripta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

antiquis Professorum honorariis, præbendis Canonialibus, aliisque commoditatibus permagnis. Docebant autem ex suo quisque sensu. Protector Zuinglianissimum tuebatur, Lutheranismum Cranmerus. Bucerus autem in Iudaissimum putabatur proclivis, idque ob responsum quoddam illius datum Dudlæo Duci Northumbriæ, præsentem Barone Bagetto, Hispaniarum Regis piæ memoriæ Consiliario. Quippe rogatus à Dudlæo Bucerus, quid ipsi de reali Corporis Christi in Sacramento Altaris præsentia videretur, respondisse fertur, *de vera corporis præsentia nullum merito dubitare posse, qui non dubitet de fide Evangelistarum: non tamen ego sum* (subjecit) *qui certo ea omnia credenda existimem, quæ in Novo Testamento de Christo & eius actis scribuntur, quanquam nec hæcenus aperte negare libuerit.* Hæc est illa Religio, seu Religionis contemptus verius, cui superstructa est hæresis: huc tendunt tot dubia, quæ ab iis moventur, quorum pedes etiam in evidentissimis Scripturarum testimoniis, ad quemvis passum titubant. Hoc sapientia illa Lutheri verba, ubi Monachis austeritates suas exprobrat: *Turca* (inquit) *in pudore suffundunt nostros Monachos, qui vix umbra sunt, si cum illis componantur; vulgus autem, cum illis collatum, profanum prorsus: adeo ut nec Christiani, nec Apostoli, nec Propheta, nec ipse Christus unquam tantum zelum demonstrarint.*

Quæ etiam causa est, cur ad Mahometanismum non pauci hodie transeant. Calvinus etiam peius quiddam dixit. Sed horret animus, eiusmodi blasphemias hic recitare. Petrus Martyr, monachus excucullatus, qui Monialè apostatricem sibi copulaverat, quum primum veniret in Angliam, Lutheri imbutus opinionibus, sub illius signo militabat: post vero factus est transfuga. Ea erat hominis inconstantia, ut primum avita Religione, quam unà cum lacte imbiberat, relicta, ut Monachæ thalamo frui posset, Lutheranam amplecteretur; deinde vero quum in Angliam verteretur, ad Protectoris & Cranmeri arbitrium professionem fidei suæ conformaret. Sanderus optimæ fidei historicus, quique facile inter eos qui res Anglicanas memoriæ prodiderunt, palmam obtinet, se ipsum audivisse scribit, Martyrem docentem, & ita articulum de Sacramento Cœnæ Dominicæ tractantem, ut anxius ac pendulus prorsus hæreret, Lutheranorumne an Calvinistarum partibus accederet. Exspectabat enim indies, ut quid sequendum esset,

Parlamentum constitueret. Itaque ut majore cum applausu exciperetur à populo, qui cum videret magna eloquentia (nam hac laude pollebat) publicis Ordinum suffragiis, & Magnatum, qui conciones ipsius præsentia sua frequenter cohonestabant, astipulatione receptam comprobataque sententiam proponere: ratus est, suam tantisper suspendendam esse. Tandem significat illi Cantuariensis, *decretum esse à Parlamento, Calvinissimum sequendum esse, non Lutheranismum.* nec tamen omnia immutanda esse, sed mansurum nonnihil inter ipsos & Gallie Calvinistas discriminis. Quo accepto nuncio, Martyr Sacramentariorum Calvinianorum hæresis libere amplectitur. Iisdem comitiis, quæ habita sunt Londini Anno 1547. pridie Non. Novemb. & quibus Martyri perditionis Leges præscriptæ sunt, formata fuit Religionis formula adeo multiformis, ut vere eam centonem quendam dixeris ex variis diversarum sectarum partibus consarcinatum: quem admodum etiam de Calvini hæresi negari nequit, eam à singulis antiquorum hæreticorum, quos vetus Ecclesia damnavit, articulum aliquem hæreseos mutuatum esse. Id quod propositum mihi fuit aliquando exercitii causa accurate perpendere: jamque ad triginta hæreses collegeram, Latinaque lingua descripsæ. Sed facile animadverti, majoris eam rem ingenii esse, quam ut à me feliciter absolvi possit: quamvis illi minime difficilem existimem, qui in antiquorum Patrum lectione vel mediocriter sit versatus. (a)

V. Hoc Parlamento factæ sunt Nova constitutiones, novæque & prioribus seculis ignota Ecclesia jacta fundamenta. Hoc Concilio statuta sunt norma & lata leges, sub quarum jugo Angli & viverent & morentur. In natura admirabilis apparet Creatoris sapientia in hoc, quod quum tam multæ sint res creatæ nõ tamè sunt aliæ aliis similes, & quæ est inter illas similitudo, non est sine aliqua etiã dissimilitudine. Eadem est ratio spuriarum istarum Religionum, quas ex cerebro suo homines produxerunt: quas si separatim omnes consideres, dispari vultu sunt; multumque aliæ ab aliis discrepant, & si quo in dogmate congruant, nihilominus notabili aliqua

(a) Prestitit id jam Anno 1653. dum hac editio postrema adornatur, copiose & judiciose Author Anaromia Eccl. Catholica; Tractatu tertio, in unâ facio ostendens doctrinas Veterum Hæreticorum, à Simone Mago exordiens, in altera Syneretissimum nostrorum sectariorum apponens, quem suadeo, ut videat, qui hoc argumentum desiderat.

aliqua differentia discriminantur. Apparet hoc evidentiſſime in Anglica Religione, quæ quum videatur eſſe eadem cum Calvinistica, peculiaria tamen non pauca habet. Quod ut intelligatur, animadvertendum eſt, quid in ſeculari illo, de quo diximus, Concilio conſtitutum fuerit, ubi homines militares de Theologia diſputabant, quaſique Regnum cœlorum partiebantur. I. *Lex fuit, ut ſine ulla exceptione, quidquid vel temporalium rerum vel Eccleſiaſticarum adhuc ſupererat, Sacella, fundationes, redditus, oblationes annua, Regis Eduardi eſſe deinceps cenſerentur.* II. *ut Episcopi, Archiepiſcopi, preſbyteri, aliique, quorum eſt dignitates & tituli manerent, alio omnino ritu, quam Catholico ordinarentur.* Hinc aliam etiam formam Sacramenta adminiſtrandi adiunxerunt. III. *ut Imagines & Cruces, quæ adhuc quibuſdam in locis miraculorum gratia, colebantur, tollerentur.* In locum verò inſignium præpotentis Dei, Imperatoris cœli & terræ hoc eſt, ſacra Crucis, quæ Miſericordiam ipſius repræſentat, ſurrogarunt inſignia Regis ſui, vel Reguli potius, qui præter exiguum Orbis angulum, ambientis Oceani quaſi ſepulchro incluſum, nihil poſſidebat. Cruces deiecerunt, & in earum locum ſubſtituerunt gentilitias Anglicorum Regum imagines, nempe tres leopardos, & tria lilia, hinc ſerpentis (ut Sanderus ait) nempe Draconis inde canis ſeu Moloffi Anglici pedibus expanſis ſuſtentata. Quin tantum potuerunt in his Comitibus Zvingliani, ut Miſſæ ſacrificium abrogarent, ſancirentque, ut Eucharistiæ utraq; ſpecies cuilibet de myſterio participantis neceſſario traderetur. Conſuetudinem ſacra officia Latina lingua recitandi antiquarunt, eademque in vulgarem tranſtulerunt: quo factum eſt, ut Hiberni & Cornubienses, qui forte aſſiſtebant, quoniam his peculiare idioma eſt, cum hi ſacris quaſi ritibus his Anglicæ religionis aſſiſterent, æque ac ante nihil eorum, quæ dicebantur intelligerent. Adminiſtranda autem Eucharistiæ ritum nihil aut parum immutarunt: Canonem enim Miſſæ integrum reliquerunt, converſum in linguam Anglicam. Quamquam Calvinista poſtea, quibus hoc videbatur nimis Catholicum, Canonem totum removerunt. Nemo erat ex Catholicis, qui Eccleſiæ cauſam defendendam ex animo ſuſciperet, nemo qui mortem in tanta cauſæ æquitate contemneret. Nonnulli quidem depugnarunt pro fide Catholica in illis Comitibus, Stephanus Vintonienſis, Edmundus Londinenſis, Cuthbertus Dunelmienſis, Nicolaus Vigornienſis, & Dajus Ciceſtrenſis Epif-

copi potuiſſentque pro doctrinæ ſuæ excellentiâ non parum Dei cauſam adjuvare: niſi & ipſi victas manus terendiſſent, iugoque hæreſeos ſponte collum ſubmiſiſſent. Ne enim proventibus ſuis & Episcopatibus, quos ab Eduardo Rege, non autem per Pontificis nominationem aut conſenſum obtinuerant, privarentur, huc prolapſi ſunt, ut perverſis illis conſtitutionibus ſubſcriberent. Recte olim quidam felix pronunciarit illud ſaculum, quod Episcopi aurei, Calices autem lignei eſſent. Nihil enim miſerius eſt, quam calices videre ex auro confectos, Episcopos verò ex ligno putri ac vermuloſo. Rediſibus hi tales inhiant, non dignitati Episcopali. Et illi quidem tandē pœnias huius ſui criminis dederunt, partim ſub Elifabetha, partim ſub ipſo Eduardo mulctati: nonnulli etiam in ipſo ſupplicio pœnitentiam facti ſui egerunt. Hiſ ergo approbatoribus multum adjuſta eſt cauſa hæreticorum, qui Edicta ab illis ſubſignata ſtatim per univverſum Regnum promulgaverunt, & immutata eſt Eccleſiæ forma, ſplendorque Solis in Angliâ eſt obſcuratus à fumo putei Abyſſi, per Lutherum aperti, vel certe eclipſin quandam paſſa eſt Eccleſia, quæ cum non ſecus ac Sol quidam nos illuminat, & extra quam æterna tenebrarum caligine involuti degeremus, quamprimum illa ab humano cerebro procuſa, & Lunæ lumine mutabiliora opinionum monſtra, inter ipſam & eorum, qui ſub eius regimine vivunt, mentis oculos ſeſe interpoſuerunt, Eclipſin paſſa eſt, & ſplendorem ſuum offuſcari uti ſacrum experta eſt quando ibi omnes illi, à qua profectum eſt, quidquid habemus, valedixerunt: omnes diſtinctiſſimæ huius matris gremium reliquerunt: omnes relictis eius amplexibus in mortem & infernum ſeſe præcipitaverunt. Et ut olim in primis illis perfequutionibus, quum ſub Ethnicorum Imperatorum crudeli tyrannide miſeri Catholici gemerent, ita nunc quoque nonnulli clam divinum cultum exercebant, & Miſſæ officium in locis ſecretioribus, & ab accessu vulgi remotioribus celebrabant. Speluncæ tum, & rupes in plures cellulas excavatæ, erant illis loco ſacratum ædium, ubi omnium religioſiſſime Deus colebatur. O Nero, tu vidisti tunc barbaricam crudelitatem tuam inter eos, qui Chriſti gaudent nomine, revivifcere? Tu quidem in eos læviſti, à quibus alius, quam abs te (cui mille erant numina) Deus colebatur: nos vero vidimus eos, qui eundem Deum profitebantur, eandem ſalutem ſperabant, immani proſus errore ruere in ruinam atque exitium & immaniore more alioſe-

cum

cum trahere in abyssum. Et quorsum hoc, o Deus permisisti? *Iudicia tua abyssus multa.* Hæreo, & inter innumera video, quod huiusmodi permissionibus soles etiam mi Deus tuorum constantiam in calamitatibus & persecutionibus probare, ut electi manifesti fiant.

VI. Unica fuit inter illustriores in toto Angliæ Regno femina, quæ constanter fidem retinuit. Maria O præclarum sui sexus decus & encomium! siquidem hanc virtutem familiarem sibi atque ordinariam haberet. Maria illa, Henrici VIII. filia natu maior Eduardi autem Regis soror, & cuius etiam postea caput Regio Angliæ diademate redimitum fuit, non exiguam hoc nomine laudem meretur, propterea quod invicta adversus omnem inimicorum Dei rabiem, magno animo antiquam fidem servavit, nec ab Ecclesia se divelli est passa, neque unquam defatigata est in Dei causa propugnanda. Principes eam adjuvant, urgent, premunt: at illa inexpugnabilis perstat. Rogata, ut saltem publice missa celebrari, contra Regis edicta, non permitteret, respondet, *nunquam se antiquiorem melioremque colendi Dei ritum, à patribus acceptum, cum nova & nuper ad illorum arbitrium proculsa secta commutatum. Non esse paucorum quorundam, eorumque imperitorum homuncionum, & Episcoporum ad aienam libidinem metu compulsorum intricatas questionum spinas evadare; nec hominum præiudicii præoccupatorum, ambigua distinguere, obscura atque abstrusa scrutari & in lucem proferre, nedum Leges salutis sua conscientia præscribere.* Adjungens præterea, futurum aliquando, ut huius sua administrationis tam insolentis eos poeniteat; caveant igitur, ne fratris sui pueritia ad istum modum abuterentur; fore tandem eius rei rationem reddendam. Indignabatur Protector cum ceteris Aulicis, nihil nisi hæreseos promotionem procurantibus, auctoritatem suam contemni à femina: quam propter amorem, quo illam fratrem jam grandisculum complectebatur, reformidabat. Et tamen, licet sub hac umbra Regali tuta videretur adversarii eius, ex cæco animi impetu eo temeritatis progressi sunt, ut Sacellanos eius, quum coram ipsa sacra officia pro more facerent, semel atque iterum conijcerent in carcerem. Sed re significata Carolo Cæsari, confobrino suo, is per oratores suos apud Regem Eduardum obtinuit, ne super ea re amplius molestia Mariæ exhiberetur; ipso etiam Eduardo ægre admodum ferente, quod tam inhumaniter eum ipsa ageretur. Itaque hæretici, quum hac non succedere animadverteret, alia via experi-

undum rati, ea, quæ Parlamenti auctoritate, ut diximus, sancita fuerant, exsequutioni mandare tentaverunt. Quam ob causam à Protectore Regis nomine jubentur duo Primates, Cantuariensis & Eboracensis (quos solos Angliæ Archiepiscopos habet) per utriusque suffraganeos Episcopos, diligenter curare, ut Parlamenti decreta recipiantur, & eisdem promulgatis obtemperetur. Visitatores præterea instituuntur, qui operam dent, ut factæ constitutiones observentur. Iam Biblia in Angliæ sermonem traducta fuerant, & cum his Erasmi in Novum Testamentum Paraphrases. Quæ vertenda, & cum approbatione sua edenda curaverat Henricus VIII. damnatis omnibus aliorum versionibus (quomodo etiam Lutherus non nisi suam admittebat: & Zuinglius eas omnes rejiciebat, quæ discreparent ab ea, quam ipse adornarat: ut & ceteris fere omnibus qui operam hac in re aliquam navarunt, nihil nisi quod ab seipsis profectum est, placet) & tamen, mira sane res! his reformatoribus ne illa quidem Henrici VIII. versio amplius placebat. Siquidem Protector eam quæ ab Henrico VIII. Rege approbata fuerat, versionem pro authentica publicare noluit, sed eas substituit quæ ab eodem damnata fuerant & igni adjudicata. Hæ à Visitatoribus passim circumlata, adeoque in publico templorum valuis affixa, & multò emere hos atque eiusmodi libros coacti fuerunt. Tum etiam salutare illud Christianorum signum, & omnia alia Catholica fidei insignia ex omnium manibus excussa sunt. Conciones nihil nisi Libertatem sonabant: Monasteriorum claustra, quæ Henricus VIII. refringere coeperat, quam lata erant ad exitum monachis & religiosis patebant; carnis voluptates quibus etiam optima ingenia corrumpi solent, non mittebantur modo, sed & laudabantur ac quasi imperabantur: Quod si temporum eorum statum consideremus, videbimus sane omnium animos mira tum novandarum rerum cupiditate incensos fuisse, sic ut pudicitia illa olim claustra, facile à luxuria fuerint expugnata, atque etiam homines ceteroqui non mali, ad mundana inde negocia extracti. Sed tanta animarum clade non contentus diabolus, simul ac semel omnem jacere aleam voluit. Supererant in Angliæ pauci aliquot Episcopi, qui in tanta morum ac doctrinæ corruptione, quamvis ab Henrico Rege ad eum gradum fuissent proveci, aliquid de Catholica integritate Ecclesiæ in suis animis retinuerant, & secreto Catholicorum more vivebant & sacris operabantur.

Q 2

Hos